

# Vaterländische Beiträge.

Nr.

Dresden, den 1. November 1816.

41.

De victoria  
Britannorum ab Algerianis  
reportata  
d. 27. August. 1816.

Dicite iō paean et festae pandite templa  
Laetitiae, gentes; solvite vota Diis!  
Personet Europam laetus concentus ioque  
Litora cuncta hilari voce, triumphe,  
canant!  
Tandem, quas meruit, poenas Algeria sol-  
vit;  
Latrones flexo procubuere genu.  
Jam tua barbaricis non crescat, ut ante, ju-  
ventus  
Servitium populis, accola laete maris!  
Jam nulli poterunt messes vastare rapina  
Pastor et in tuto litore pascet oves.  
Nec natum mater, sponsum nec sponsa per  
altas  
Abductum celeri puppe dolebit aquas.  
Compressere minas saevas fastumque tyranni  
Arma, jubente Deo, magne Britanne, tua!

Audiat haec tellus: Superūm non effugit  
iram,  
Rumpere qui juris vincula sancta potest.  
Testantur Libyci combustae litoris arces  
Et freta, quae largo tincta cruore ru-  
bent.  
Navibus e multis, quae fures ante ferebant,  
Vix una horrisono sospes ab igne fuit.  
Sic placuit Superis, qui magnas orbis ha-  
benas  
Flectunt nec populis jura perire sinunt.  
Hinc tibi Neptunus superare, Britannia,  
classe  
Et gestare manu sceptra trisulca dedit:  
Ut vigilante sacri cura maris aequora serves  
Libera, ne praedo per freta tatus est.  
Heu nimium longis licuit vastare rapinis  
Infandae genti litora cuncta maris!  
Nil habuere sacrum latrones; nullus in aris  
Illis visus honos, nullus inesse Diis.  
Abstraxere viros laribus, seu colla catenis  
Vinctos servitio, sive dedere neci.  
Clamat adhuc insons sanguis nec jam data  
poena  
Placavit manes, qui sua fata gerunt.